

invenimus dc lxvi (Apoc. xiii, 1), de quo videlicet A bestiæ numero postmodum tractandum erit. Intērim vero sciendum quod senarius creaturæ solum, et non Creatoris numerus est. Sex namque diebus mundum Deus condidit; septimo, quasi fatigatus post laborem sex dierum ab omni opere suo requievit. Quid vero septimus iste dies requietionis Dei intelligitur, nisi sapientia ejus, quæ non est aliud, quam ipse? Deus namque, qui spiritus est, certum est, quod in creatura sensibili, qualis est terra inanimata, requiem sibi non quærat; sed nec animantia irrationalia Deo in se requiem exhibere possunt. Sola rationalis creatura, requiei Domini apta condita fuerat, qualis est angelus et homo.

Sed dum angelo pes superbiæ venit, hominem B quoque superbientem manus peccatoris movit, expulsique sunt, nec potuerunt stare divinitas in eis requiem sibi non invenit, quæ non nisi super humilem et quietum ac trementem ad sermones Dei spiritum requiescit. Sed nec angeli boni cum nondum in humilitate ita perfecte solidati fuissent, ut

eis nihil defuerit, sine superbia, vel casus sui periculo totum divinitatis se inundantis pondus sustinere valuissent. Quanto minus hominum quisquam exstitit, præter unicum Filium Dei, qui Deus ab æterno existens, etiam homo prædestinatus est. Præter hunc, inquam, nullus inveniri potuit, qui cum summis virtutibus, arcem quoque simul reperente humilitatis apprehenderit, ita ut Domino in ejus dictis et factis laborandum non esset. Itaque solus Filius, in quo Pater sibi per omnia complacuit, quicque Patri in se, ac de se nullum unquam laborem præbuit; solus, inquam, ipse est, in quo Pater plene requiem invenit; unde et ipse rectissime dies ille septimus intelligitur, in quo Pater Deus ab omni opere suo requievit.

Igitur, ut dicere cœpimus, sicut senarius creaturæ, ita septenarius Creatoris numerus est; ac proinde statua illa aurea recte in sui altitudine ac latitudine senarium non excessit. Siquidem diabolus eam ad serviendum creaturæ potius, quam Creatori erexit.

GERHOHI PRÆFATIO

IN LIBRUM

DE INVESTIGATIONE ANTICHRISTI.

(Opp. Jacobi Grotseri, t. VI, p. 243.)

Cum librum bunc primum Investigationis Antichristi scriberem, et recens jam schisma de contentione papatus Alexandri atque Octaviani, quem Victorem dicunt, serveret, singulis partibus, quod sibi commodum videbatur, in sui favorem assumebitis, et alterutrum sive per veritatem, sive per occasionem derogantibus. Dumque partes utraque multitudine magnorum et non contemnendorum sacerdotum, insuper et regem ac principum se favore munirent, fateor, hac contentionis nebula totam terram tegente, faciemque Ecclesiæ tetra caligine obsuscante, non satis mihi claruit vel puritas electionis ecclesiastice in Alexandrum factæ, vel per vicax præsumptio partis Octaviana. Unde pendulo gressu inter illas divisiones incendens, et quasi concionatoris modo sententiam suspensam tenens, in neutram partem declinare facilis fui. Cum ignorantibus ignorabam, cum dubitantibus dubitabam, factusque sum sicut homo non audiens, et non habens in ore suo redargutiones; et quasi nesciens reprobare malum et eligere bonum.

At nunc, postquam mendaciorum nebulæ contra canonican electionem Alexandri conflictæ cepe-

C runt rarescere, ipsis etiam negantibus ac solemniter negare paratis quæ contra imperium sacrilegi conspirasse dicebantur, et nulli mortalium velle super his rationem reddere, tanquam soli cœlo debentes innocentiam; accendentibus quoque in consensum electionis in Alexandrum factæ sedibus apostolicis, id est Hierosolymitana, in qua sedit Jacobus apostolus; Antiochena quoque, in qua primo sedit B. Petrus; quæ et utræque Ecclesiæ litteras apostolicas meruerunt: sanctæ quoque Romanæ Ecclesiæ majore ac potiore cardinalium numero, tribus videlicet solum exceptis, in ejusdem Alexandri electionem consentientibus: quem videlicet dominorum cardinalium cœtum nos Romanam Ecclesiam intelligimus: his, inquam, declaratis, jam ultra dubitandi locus non est quin is pro papa legitimus habeatur, quem et electio canonica, et consecratio eorum pontificum in sedem B. Petri promovit; quorum id juris fuisse antiquæ Romanæ Ecclesie juxta morem probat institutio. Et hæc dicimus nostræ dubitationis ambages excusatas esse capientes. Nam finis loquendi audiendus est, non concionatoris percunctionibus inhærendum.